



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 81. Gerardi Vossii extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

dedicatum, atque in Galliis jam quinto Sæc. XVII.
 prælo subjectum plurimi habetur. A. C. 1609.

§. LXXXI.

Gerardi Vossii extrema.

Hujus quoque anni diem vigesimam *Miræus.*
 quintam Martii vitæ suæ postremam *Script.*
 habuit Gerardus Vossius Borchlonii in *Sæc. XVII.*
 Eburensi Comitatu natus. Erat Vir *Erythr.*
 Græce ac latine apprime eruditus, & *Pinacoth. II.*
 probitatis, innocentiae, virtutumque om-
 nium non minus ac scientiarum laude
 adeo præstans, ut Janus Nicius, quem
 Gerardus *patria charitate* semper comple-
 xus erat, haud satis mirari potuerit, quod
 tamen fortuna esset usus tam adversa, ut
 nunquam ex eo statu, in quo esset collocatur,
 potuisset emergere, ac procedere opibus &
 honoribus longius; quamvis enim Tau-
 grensis Præpositus, Protonotarius Apo-
 stolicus, ac S. Theologiæ Doctor esset,
 has tamen dignitates suis meritis multo
 inferiores esse credebat Nicius: Gerar-
 dus vero sua sorte contentus totum se
 edendis Sanctorum Patrum operibus
 dicabat: ex his Sancti Ephrem Syri om-
 nia opera latinitate donabat, scholiis-
 que illustrabat: Theodoretum quoque
de charitate, S. Gregorium Thaumatur-
 gum, Gesta ac monumenta Gregorii IV.
 Papæ & alia plura cum notis variisque
 Lectionibus, præter artis Rhetoricæ
 metho-

Sæc. XVII. methodum in lucem dedit; Lambecius
 A. C. 1609. tamen Gerardum infimulat, quod in il-
 lustrandis Gregorii Thaumaturgi operi-
 bus potissimum versionem Ambrosii Ca-
 maldulensis in rem suam verterit, quin
 tamen vel unquam illum allegare di-
 gnatus esset. Præterea latine etiam
 reddidit S. Joannis Chrysofomi oratio-
 nem Panegyricam in SS. Apostolos Pe-
 trum & Paulum, quam insuper doctis-
 simis commentariis illustrabat, unacum
 elegantissima apostrophe ad Urbem Ro-
 manam. Obiit Leodii annis meritis-
 que gravis.

§. LXXXII.

*Jacobi Arminii aliorumque Hetero-
doxorum Scriptorum mors.*

Vid. supra
l. 174. §. 34.
tom. 52.
Adam. vit.
Philos.

Jam supra de vita & scriptis Jacobi Ar-
 minii, qui novæ sectæ Parens existi-
 tit, mentio occurrebat, unde ad alios
 non minus in errandi pertinacia celebres
 transitum facere oportet, hos inter haud
 infimus est ex Reformatis Bartholo-
 mæus Keckerman, qui Dantisci anno
 Christi millesimo quingentesimo septua-
 gesimo primo natus, Philosophiæ Magi-
 ster ac linguæ Hebraicæ Professor Hei-
 delbergæ creabatur, inde vero in pa-
 triam evocatus, Philosophiam publice
 profitebatur, ibidem die vigesima quinta
 Augusti